

*PHILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Ballivo Viromandensi, Salutem. Consultâ deliberatione prehabitâ, sub certâ penâ dudum districtiùs inhibuisse recolimus, Ne quis aliquem pro torneando faceret apparatus, vel eidem insisteret quoquomodo, & si quis ejusdem inhibitionis transgressor existeret, idem cum suis equis & harnesiis caperetur, & ad viciniora captioni loca nostra mitteretur detinendus ibidem arcus, donec ordinassemus aliud in hac parte. Verùm evidentiâ facti docente, didicimus quod in Balliviâ vestrâ quamplures torneandi, non sine dictæ inhibitionis contemptu temerariam audaciam assumentes in propatulo se, & propalam exponere presumpserint, quorum temeritati vos non obviasset, & sic per eorum non repressam, & impunitam superbiam, effrenem torneare cupiencium voluntatem, ex vestrâ negligentiam percipimus pululasse. Quod nimirum ed molestius fecimus, quo protervius nostra parvipendi mandata & dispendiosiora subditorum nostrorum incommoda, ex dictis torneamentis cernimus imminere. Quocircâ mandamus vobis & districtè precipimus, quatenus torneamentorum ludis in balliviâ vestrâ, omnium impedimentorum que poteritis repagulum opponentes, vestris subditis, sub acerbiori penâ, quâ poteritis, inhibeatis, ne cuius torneare volenti, vel pro torneando preparationem aliquam facienti, aut ad ea accedenti, seu propter hoc, vel ad hoc signum, vel demonstrationem aliquam facienti, quisque panem, vinum, blada, forragia, vel quevis expressa victui necessaria vel utilia, quoquo quesito colore, vendat, tradat, commodet, tribuat aut ministret. Et nihilominus omnes tales ad torneamenta voluntate precipiti se flectentes, de quibus liquebit, cum omnibus eorum equis, & harnesiis arrestari & capi, sine personarum acceptione, & absque deliberatione vel recredientiam faciatis, personas talium imprisonandas, sub fida custodia mittentes in Castelleto nostro Parisius, & equos & harnesia in scutiferia nostra sine spe recuperationis eisdem applicanda. Igitur circa predicta vos taliter habeatis, & illam vigilantiam adhibere curetis, quod futura in predictis adhibita cura vestra preteritam vestram negligentiam deleat, & de ulteriori non possitis quomodolibet reprehendi, penaque predictis transgressoribus inflicta, ceteros a simili presumptione compefcat. Actum Amboisie die primâ Septembris, anno Domini millesimo trecentesimo quinto.*

Le mandement du 1er Septembre 1305 adressé au bailli de VERMANDOIS

(Ordonnances des rois de France, 1723, p. 434)